

mos universorum Procerum, Populorumque tum Poloniae, tum Lithuaniae, tibi ita devinxisti, ut jam quisque immemor prae-teriae discordiae, amore erga te & obsequio certet cum Popu-lis, quibus jure hereditario dominaris. Ad haec pulchrum est intueri tantam in altitudine fortunae Modestiam, & praecipue Magnificentiam illam incomparabilem, quam ab inclytae memo-riae AUGUSTO Rege, parente tuo, veluti per hereditatem accepisti. Hanc ubique spirat Regalis Aula tua; omnia ibi splen-dida; omnia admirabili ordine disposita atque peracta; omnia denique non tam Animi tui magnitudinem, quam Mentis bene compositae elegantiam luculentissime testantia. Sed prae ceteris habet Polonia, quod in te miretur, raram videlicet Sapientiam, qua te ipsum, Populosque tibi a Deo creditos, regis. Cujus quidem virtutis quamquam quotidiana praebeas exempla, mirum tamen in modum illustre specimen dedisti in postremis Comi-tiis Pacificationis Regni tui. Ibi ardua supra modum negotia agitabantur; ibi luxatis Reipublicae membris opportunum quae-rebatur remedium, sed iis difficultatibus identidem sese objicien-tibus, quae spem omnem redintegranda salutis atque concordiae eripere viderentur. Actum erat de tam excellenti bono, nisi sublimis tua mens intercessisset. Nullus enim tam grandis obex exoptatae ab omnibus quieti eo tempore occurrit, quem non illico removerit consiliorum foecundissima Prudentia Majestatis tuae: ita ut Sapientiam tuam mirati sint, & adhuc mirentur vel ipsi Senatorum sapientissimi, eique uni acceptam referentes partam tot bonorum affluentiam, te laudibus efferant numquam interituris.

Eiusmodi ergo invidendae dotes, praedictaque Animi, si-mulque Throni tui ornamenta, ea sunt, per quae non illos tan-tummodo, qui sub te Principe degunt, felices, tuique amato-res efficis, sed exterorum quoque venerationem studiumque erga Majestatem tuam allicis. Itaque diu est, quod ego captum me sensi splendore & famâ tuarum Virtutum, diuque etiam circumspe-xi, quo monumento testari apud praesentes & posteros possem, quanta sit mei erga te sublimissimum Regem obsequii perenni-tas & promitudo. Accedebat etiam arcta illa inter Majestatem tuam, ac Serenissimum FRANCISCUM III. Mutinae Ducem, clementissimum herum meum, quem proxime praeterito anno ad te profectum tanto amore & gratia excepisti, affinitas atque conjunctio: quum nobilissimus Brunsvicensium Ducum Sanguis ex gemina Sorore, tam in Regiam Conjugem tuam MARIAM JOSEPHAM Archiducissam Austriacam, quam in eumdem Mu-tinae Ducem fluxerit, & in Augustissima AMALIA Romano-rum Imperatrice, vivo Mulierum fortium & piarum exemplari, tu amantissimam Socrum, Mutinensis vero Dux benignissimam Materteram, uterque demum alteram veluti Matrem colatis.

Itaque cui aequius, cui fidentius quam Majestati tuae offe-ram ego Italicarum Antiquitatum medii aevi Corpus, quod mul-tis vigiliis & laboribus a me compactum, publici nunc tandem juris